Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



eorum scientia cum eorum de essentia coniuncta. Namque ante quam chymera
fingeretur sic ipsa in nulla opinione fuerat. ita quoque eius scientia non
erat. Postquam vero ipsa in animi imagine constituta est eius quoque cum ipsa
imaginatione scientia consecuta est. Atque ideo ait. In paucis hoc
posse perfici ut simul cum scientia scibile sit. Ut in hac eadem
chymera. Quecumque sit scibilis cum scientia nata est. Sed quoniam nichil
quod in substantia non permanet neque in veritate consistit sciri
potest. Scientia enim est rerum que sunt comprehensio veritatis. Et quicquid
quod sibi animus fingit vel imaginatione reperit cum in substantia atque
veritate constitutum non sit illud posse sciri non dicitur. Atque ideo non est
scientia eorum ulla que sola imaginatione subsistunt. Iccirco
itaque dubitans dixit. In paucis enim vel nullis. Hec enim ipsa
pauca ita quisque reperiet ut si ad veram rationem examinationem con-
tenderit. nulla esse perpendat. Quod si quisquam chymere aliquam esse
scientiam dicat que non est quamquam hoc falsum sit. tamen hoc quoque con-
cesso pauca erunt in quibus scientie cum scibili simul natura sit. Mul-
tis enim rebus ante prepositis et constitutis scientia nascitur. Quocirca
non in omnibus relativis verum est ut simul esse dicantur natura ut sic
falsum illud est. In nullis hoc esse relativis. ita falsum rursus in omnibus.
Sed hunc tractatum longius texit. Amplius Sci-
bile sublatum simul aufert scientiam. Scientia vero non aufert
scibile. Nam si scibile non sit. non est scientia. Scientia vero si non sit
nichil prohibet esse scibile. ut circuli quadratura si est scibile sci-
entia quidem eius nondum est. Illud vero scibile est. Diximus illa esse si-
mul quecumque altero constituto vel altero intempto simul utraque con-
stituerentur vel esse perimerentur. Constituto enim ut sit pater constituetur
esse filium. Et pater simul infert substantiam filii. eodem quoque modo
altero intempto utrumque perire necesse est. Alterum vero altero pri-
us dicitur pluribus modis. Sed quod nunc querimus tale est. Nam priora illa esse
dicuntur que ipsa quidem perempta res alias tollunt. ipsa vero illata
atque constituta simul res alias non inferunt. Ut est unus atque duo.
Intempto enim uno duo quoque pereunt. Unde enim est unus in duobus
geminatio si unus intereat. Constituto vero atque posito ut sit